

ficus donis in nos collatis ostendit, & declarat.

Factus est repente de caelo fons. Ut multis placet, venit divinus Spiritus in forma, ac figura venti, & ignis, & cur ventus ad hoc ministerium assumitur a divino Spiritu? Ventus inter omnia sensibilia velocissimus, nulloque obstaculo retineri valet, ut notat Geminianus lib. 1. de exemplis cap. 73. Ideo divinus Spiritus cum tali forma venit in Apostolos, quia suos Ministros, ut ponderat Beda, celeres, ac veloces vult in suo negotio, contempto omni humano impedimento, & in igne, qui vehementi impetu rapitur, ut in suis flammis, tanquam alis sursum ascendit; formaturus ergo divinus Spiritus Apostolos suos ministros, ita celeres, ac diligentes vult, ut tanquam assumptis alis in suo munere volitent. In igne, & vento, qui suo motu maximè solet ignem accendere; in igne, ut ardeant Charitate; vento, ut magis inflammentur. Vide tom. 2. Evang. c. 8. q. 12. n. 96. Vocantur Petrus.

Deus vult suos ministros celeres, ac diligentes.

22. D. Cyril. Jerosol. Seruus Dei militat in castris virtutis.

23. 2. Tim. 2. D. Chryso.

Servi Dei sunt tanquam milites in bello.

2. Petr. 1.

Bened. Justin.

24.

Philo.

Virtus pugnanando vincit.

QUÆSTIO IV.

Quare cum divinus Spiritus multis, & variis figuris apparuisset, hic tamen mirabilis super omnes?

25. Deus spontaneus ad beneficia invitans ad supplicia.

Genet.

IN primo rerum officio describitur Spiritus Domini super aquas, & hic etiam in primo exordio, Ecclesie Christi dicitur adesse, valde etiam diversimodè. Illic dicitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Genet. 1. n. 2. quasi diceretur, tanquam non sua sponte, sed quasi tractus ferebatur: at in presenti ac si spontaneè descendens; Tanquam adveniens Spiritus vehementis. Unde tanta differentia: Illic ferebatur super aquas, quæ labores, ac tri-

bulationes per se indicant. Non me demergat tempestas aquarum, hic verò super Apostolos veniebat, ut eos suis donis adimpleret. Deus ad inferenda supplicia valde morosus, ad conferenda beneficia multum promptus, ac velox.

Apparuit divinus Spiritus, in specie Columbe cum Christus baptizaretur in Jordane: Vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se. Math. 3. n. 16. in Jordane etiam multi homines ibi adessent, tamen super unum Christum Jesum descendit, & ideo à circumstantibus, nec sentitur, nec auditur divinus Spiritus, cum super unum solum descendisset; At hic advenit super omnes, qui aderant in Cœnaculo irrortans eos suis donis, ita ut omnes in Jerusalem ex sonitu, ac luce nitente in Cœnaculo ad ipsum concurrerent ad videnda mirabilia, quæ ibi fiebant. Aliter respondet D. Gregor. Mag. homil. 30. in Evangelia, venit super Christum in specie Columbe, ut peccata hominum mansuetudine toleraret: super Discipulos in igne, ut qui erant simpliciter homines, ac peccatores, eos contra semipsos spiritalis fervor accenderet. Ut sic fierent maximè grati, & acceptabiles Deo.

Tertiò cum Christus descendisset suam gloriam in monte Thabor coram tribus suis Apostolis: Ecce nubes lucida obumbravit eos, Math. 17. n. 5. Multorum Patrum est sententia, quod erat Spiritus sanctus in figura nubis illius; & ad quid tunc apparuit D. Spiritus in figura nubis? D. Chryso. ut animaret, ac corroboraret Apostolos in magnitudine tantæ visionis, ac etiam ad eos illustrandos, ac illuminandos in excellentia tantorum Mysteriorum, ac voce Patris intonantis: Hic est Filius meus dilectus: At in presenti venit Spiritus sanctus, non super tres, sed super omnes, qui erant in Cœnaculo fere 120. ad ipsos illustrandos, ac illuminandos, & per ipsos totum mundum: non facio hic mentionem de illo, quod scribitur Joan. 20. n. 22. quod Christus D. dixit suis discipulis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. quia ibi non apparuit Spiritus Sanctus in aliqua visibili forma, sed data fuerunt ejus dona ad remittenda peccata.

Inter omnes has apparitiones, inter quas se ostentavit, hæc, qua hodie in figura ignis, illustrior ceteris fuit. Venit hic divinus Spiritus ad inflammandas corda Discipulorum in amore, ad illuminandas, ac illustrandas eorum mentes in omnibus mysteriis fidei ut dixit Christus D. Joan. 14. n. 25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Venit hic divinus Spiritus, ut suos discipulos redderet agiles, & fervidos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, ac ad docendum omnes; ipsosque Apostolos fortes, ac constantes crearet contra omnem malitiam, ac nequitiam tyrannorum, ipsosque imple-ret, ac impingueret omnibus suis cœlestibus bonis.

Cur hic adventus Spiritus sancti tam manifestè resplendet super ceteros? In aliis non legimus orationem præcessisse in circumstantibus, nec in hominibus apud Jordanem, nec in Apostolis fulgente gloria in monte Thabor, at verò modo in Cœnaculo Erant omnes unanimiter perseverantes in oratione. Superiori cap. n. 14. & canit Ecclesia: Orantibus Apostolis Deum venisset nuntiat: Oratio autem valde potens, & efficax est, ut Deum cum omnibus suis donis ad se alliciat, ac trahat.

Cum tres illi sanctissimi pueri essent missi in fornacem ardentem, scilicet Anania, Azaria, & Misael, & audisset impius Rex, quod essent illæsi, & eos ignis non tetigisset, accedens ad fornacem clamat:

Ecce

Plal. 68.

26.

Math. 3.

Deus particularibus oculis, pluribus publicè.

D. Greg.

27.

Math. 17.

D. Chryso.

Joan. 20.

28.

Hic adven-tus spiritus sancti illustrior aliis.

Joan. 14.

29.

Oratio miris modis Spiritum sanctum ad se attrahit.

30.

QUÆSTIO V.

Quare Divinus Spiritus venit in figura linguarum super Apostolos?

Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis filio Dei. Daniel. 3. n. 92. Valde mirum, quod ad hos tres pueros, descendat, & veniat ipse Filius Dei! & D. Hieron. tenet quod erat ipsemet Filius Dei, quod de nullo alio simile legitur in veteri testamento, ut cum eo appareat, ac videatur Filius Dei. De Joseph ob suas præclarissimas virtutes dicitur Genet. 39. n. 2. Fuit Dominus cum eo. Ipsum nempe dirigendo, ac cum sua protectione gubernando per suam internam motionem, ut explicant D. Chryso. D. August. & alii: At cum his tribus pueris non solum adfuit Deus præsens per inspirationem, sed ipsemet Filius Dei adstitit cum eis: Unde tam peculiari fervore erant ipsi in oratione, laudantes, ac benedicentes Deum, & ipsamet oratio extitit tam valida, ac magnifica, ut Filium Dei ad se vocaret, ac adduceret: Species quarti similis Filio Dei.

D. Chryso. D. August.

Oratio ad se ipsamet oratio extitit tam valida, ac magnifica, ut Filium Dei ad se vocaret, ac adduceret: Species quarti similis Filio Dei.

31.

3. Reg. 18.

Oratio clavis cœli.

D. Aldhelm.

Et quid mirum, quod ipsa oratio sit tam potens, ac efficax, ut imperium, ac veluti dominium habeat in Cœlo. Dixit parens meus Elias, 3. Reg. 18. n. 1. Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his vos, aut pluvia, nisi juxta os meum. Duo sunt valde notanda, unum, quod claudat Cœlum; aliud, quod post clausum non sit referendum nisi per vocem, & imperium suum. Hoc aperè indicant illa verba Nisi per os meum, ac si claustra cœlorum duratura sit ulque dum Elias os suum aperuit; & quomodo aperuit oratione nempe, ut ait Jacobus Apostolus in sua Cœnoica cap. 5. n. 18. & rursus oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Oratio Prophetæ fuit clavis, quæ clausit, & aperuit cœlum, tam imperiosa est oratio. D. Aldhelmus lib. de Virg. cap. 10. ait: Spiritus afflatus Elias, cœli claustra, & nimborum obstacula patefecit.

Act. 2. n. 3. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.

VERSIONES.

Syras. Visæ sunt dispersitæ linguæ, & sederunt super unum ex eis. Figurin. Vatab. Apparuerunt illi dissectæ linguæ. D. Chryso. Apparuerunt illis divisæ linguæ sicut ignis, insedit super unumquemque eorum. D. Cyprian. Dispersitæ linguæ sectili forma, & dissectæ.

EXPOSITIO III.

Apparuerunt illis visibilibus oculis corporalibus, ut advertit Lyranus, Dispersitæ linguæ; à visibili, & exteriori signo transit Evangelista narrare interiori, ac invisibilem gratiam, quam Spiritus sanctus communicavit, Dispersitæ linguæ tanquam ignis in genitivo, dispersitæ, seu, ut habent aliæ Lectiones, Divisæ, Dissectæ, & fortasse omnes conglomeratæ, veluti in quodam globo descenderunt, & postea cum appropinquasset, divisus, ac dispersus est in varias similitudines linguarum ille globus.

Tanquam ignis. Non erat verus ignis, sed linguæ illæ speciem ignis, ac similitudinem referebant. Et sedit, dicitur sedit, quod notat permanentiam, quia Spiritus Divinus dabatur, ut maneat vobiscum in æternum, Joan. 14. n. 16. super singulos eorum, omnes suis donis adimplens.

32. Liran.

33.

Primo mihi videtur, quod voluit hoc visibili signo ostendere id, quod erat prædictum in Scriptura, ac à Christo promissum; nam de Doctoribus Canonicis dicitur: Lingua mea calamus scribæ velociter scribens, Psal. 138. n. 2. quia eorum linguæ sunt tanquam calamus qui ab scribente, seu à Spiritu sancto dirigitur, ac gubernatur: suis Apostolis dixerat Christus, quod ante Reges, & Prædices nolite cogitare quid loquamini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquetur in vobis, Math. 10. n. 20. Et in disputationibus, ac controversiis cum adversariis, ac inimicis, ait Christus: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, ac contradicere omnes adversarii vestri, Luc. 21. n. 15. Ubi habemus os, alij legunt linguam; & tandem Christus D. ait Marc. 16. de suis discipulis linguæ loquentur novis.

Venit ergo Divinus Spiritus in linguis, ut hoc visibili signo ostenderet suam virtutem promissam, nempe doct inam Apostolorum, eorumque verba esse ab ipso dictante, ac dirigente, & coram Regibus, ac tyrannis, non ipsi Apostoli sed ipse Spiritus in eorum linguis loquebatur, sic etiam in contradictionibus adversariorum, & quod ex ipsius adventu loquebantur tam variis, ac diversis linguis omnium Nationum.

Secundò D. Greg. Magn. lib. 2. Pastoral. c. 4 sic loquitur: Super Pastores primo, in linguarum speciem, Spiritus sanctus insedit, quia nimirum quos repleverit de se protinus loquentes facit. Merito divinus Spiritus in linguarum figura supra primos Pastores descendit, ut cum ipsi antea essent piscatores, & imperiti venit ad eos, ut opportune loquendi facultatem, ac docendi scientiam, ac doctrinam acciperent; nam cum ad animarum regimen, nempe ad artium artem, ex humili piscatorum exercitio assumerentur, necessarium erat, ut ab Spiritu sancto illuminarentur ad tantum munus debite exequendum. Spiritus sanctus vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Joan. 14.

Tertiò D. Prosper episc. ad Demetriadem circa finem ait: In specie linguarum apparuit igneam, ut dubium non esset, per ipsius inspirationem utilem assectum, rationabilem sermonem, animis fidelium ministrari. Venit divinus Spiritus implens Apostolos sua interna virtute, ac etiam in externa linguarum specie, ut ex eorum recta lingua, ac rationabili sermone ipsorum interna virtus patet, ac manifestaretur. Expende verbum ut dubium non esset, quod ipsa sancta, ac bona lingua locutio, index demonstrans est animi latentem virtutem.

Quartò D. Chryso. serm. 2. Penit. pòderat quod ad Ezech. 3. n. 1. dicitur: Comede volumen istud, & vadens loquere filiis Israël: at Apostolis Christi apparuerunt dispersitæ linguæ, tunc sic ait Sanctus Doctor: Cur igitur illic liber, & litera; hic verò linguæ, & ignis? Quod ille quidem abiret insectaturus peccata orbis terrarum assumpturi erant. Hi erant peccata rememoranda, & ferreo exaranda stylo, ut in æternum puniantur: At ubi totius universi Orbis malitia destruenda, & mundus ad viam salutis adducendus; una sola cœlestis lingua, seu vox perficere valet. Dicitur Psal. 28. n. 9. Vox Domini præparans cervos. Legit D. Basil. Vox Domini præparans, & absolvens cervos ab omni peccatorum ligamine, revelabit condensæ, etiam obstrusa vox Domini revelabit, & adducet ad se.

Quinto

34.

Plal. 138.

Math. 10.

Luc. 21.

Marc. 16.

35.

Visibili signo demonstratur virtus promissa.

36.

D. Greg.

Adulta scientia in pastoribus.

37.

D. Prosper.

Lingua virtus animi index.

38.

Ezech. 3.

D. Chryso.

Vox Domini efficax ad omnia iramalia.

Plal. 28.

D. Basil.



39. Quinto D. Chrysol. homil. 2. de sancto Romano ait: Habebant & linguas Apostoli, sed ut operantis virtus judicaretur, lusum otio abatur, & ignis celestis loquebatur. Cur Spiritus sanctus veniens implens Apostolos apparet illis insidens sub forma linguarum: sine dubio, ut ostendatur, quod otiosa sit carnea, lutea lingua, vel Spiritus sancti afflar virtus, quae de linguis voces educit Divinas, ut visum est in sancto Romano, qui amputata humana lingua mirabilia loquebatur.

40. Sexto, Nicetas oratio 41. Nazianzenis sic loquitur: Ignis linguas conspiciunt, non quod similis Deus in se lingua. Divina figura sit, sed quia circa linguam futura erat Spiritus operatio. Vide, & considera quam perfectum, & efficacem sit divini Spiritus magisterium, veniebat ipse ut in hominibus impolitis linguarum splendorem excitaret, inde non mirum est, quod in se eam formam demonstrat, quam disponit in aliis excitare, quod in aliis vult splendere, prius ipse in se praemonstrat: Transiens Jesus vocat Matth. 9. n. 9. D. Pasch. lib. 5. in Matth. ait: Ad hoc quippe, ait, ut ipse de hoc seculo transiens ad aeterna quantumvis festinet.

41. Septimo: Lingua symbolum est Spiritus sancti, a Patris Verbo procedentis, ut ait D. Gregor. homil. 30. in Evang. & ait: Sicut verbum menti producit vocem lingua, sic a divino Verbo spiratur, & producit Spiritus sanctus. Similia habet D. Bernard, ser. de septem donis Spiritus sancti sect. 1. cap. 8. & ita etiam ferè D. Gregorius Nazianzenus oratio. 44. de Pentecost. per linguam existimat denotari unionem, & vinculum, quod est inter Filium, & Spiritum sanctum, & iterum sicut lingua est ejusdem naturae cum ore, ac ceteris membris, ita Spiritus sanctus est consubstantialis Patri, & Filio, ut quasi lingua eorum nobis secreta, & occulta arcana annuntiat, secundum illud 1. Cor. 1. 2. c. 3. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Ita D. Gregor. citatus: Venit Spiritus sanctus super Apostolos ad predicandum Evangelium, quia lingua sit symbolum Sanctissimae Trinitatis, innuens quod de hoc altissimo Mysterio maxime gentes erant instruendae, & ideo quando Christus mandavit suos Apostolos docere omnes de hoc sublimi Mysterio facit mentionem. In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Matth. ultimo.

42. Octavo D. Leo serm. 1. in Pentecost. sic ait: Nec dubium sit, in illo omnium linguarum vocum conventum maiestatem Spiritus sancti fuisse praesentem. Appa- ruerunt multae, & dispersitae linguae, quibus omnium gentium infundebantur linguae ad praedicationem Evangelicam, & quamvis in eis essent tam diversae linguae, summa erat animarum unitas, ex quo: Nec dubium erat Maiestatem Spiritus sancti fuisse praesentem: Ubi est unitas, ibi certo adest Spiritus sanctus, & ipse suis ministris infundit unum Spiritum, eadem unitate: eodem amore, charitate, uno sermone, ac lingua: Post Resurrectionem apparet Christus suis Apostolis Ioan. 20. n. 22. Insufflavit, ac dixit eis accipite Spiritum sanctum. Ut ibi notavi, non dixit unicuique in particulari, Petro, vel Joanni, accipite Spiritum sanctum, sed omnibus simul accipite Spiritum sanctum, ut significatur, quod omnibus datur unus, atque idem Spiritus, sic & in praesenti: Appa- ruerunt illis dispersitae linguae, seditque super singulos eorum, non dicitur federum, sed sedit in singulari, ac si eis una tantum esset lingua.

43. Dicitur Psal. 67. n. 14. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Valde vulgare est, quod per canes praedicatorum, ac Doctores intelliguntur juxta illud Isaie 56. num. 10. Speculatores ejus caeci omnes. Quo posito: Maxime notandum Prophetam non dixisse

linguas canum tuorum, singulis canibus singulas linguas attribuens, sed tantum ait: Lingua canum, multis, ac omnibus canibus unam adscribens linguam, ut denotaretur, quod omnibus Doctores unus est sensus, una lingua in mysteriis Fidei explicandis, in doctrina tradenda, sive etiam in vitis, ac peccatis arguendis, ac increpandis.

Cantic. 3. n. 7. d. am describuntur Ecclesiae Doctores ac Ministri, dicitur: Perculum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Tam Septuaginta, quam Hebraei Codices gladius habetur in singulari, & ita Pagnin. legit Omnes ipsi tenent gladium, praclarum documentum Ecclesiae Doctores Gladius est verbum Dei, omnibus illis est unicus, ac idem gladius Verbi Dei, unica, ac eadem doctrina, eademque conformitas in omnibus habenda.

QUAESTIO VI.

Quare Spiritus sanctus descendit super Apostolos linguis igneis?

Linguae dispersitae tanquam ignis: Graves sunt Auctores, qui existimant verum fuisse ignem, nec obstat quod dicatur tanquam ignis: quia saepe illa vox tanquam, & sicut non denotant similitudinem, sed veritatem, ut cum dicitur: Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre.

Tamen simpliciter mihi videtur verius non fuisse verum ignem, sed illius similitudinem; nam in Graeco tanquam ignis est in genitivo, & sicut linguae non fuerunt verae linguae humanae, & carnae, sed earum similitudines, sic & ignis non fuit verus ignis, sed illius similitudo; sicut in Baptismo Matth. 3. Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, ubi communiter Doctores tenent, ut dixi suo loco, non fuisse veram Columbam sed illius similitudinem, sic & in praesenti erat similitudo ignis, ut explicat Caetan. in colore rubro, secundo in fulgore, tertio in volubilitate, & motu. Ad quaestionem.

Primo, venit Spiritus sanctus in linguis igneis. In linguis ad loquendum, in mente ad ipsam illuminandam, ac instruendam in omnibus Mysteriis; in igneis ad inflammandam, & accendendam voluntatem in amore, ac charitate Dei, atque proximi, quae maxime necessaria sunt in Doctore, ac Praedicatori, ait Christus. D. Luc. 11. n. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Per ignem intelligunt, D. Greg. homil. 30. in Evang. D. Chrysol. homil. 8. in Matth. Origenes homil. 1. in Exod. D. Hierony. ad c. 5. Ezechiel. D. Ambros. ad citatum locum Luc. & alij interpretantur Spiritum sanctum, & ait Christus: Quid volo, nisi ut accendatur, ut nempe sua luce illuminet mentem, & suo ardore inflammet voluntatem.

Secundo D. Cyrill. Jerosol. Catech. 17. sic ait: In specie autem linguarum ignearum sedit super illos, ut nova Corona spiritalis per linguas igneas imponeretur capiti illorum: gladio igneo antea prohibebat ingressum Paradisi; ignea autem lingua salutarem praesertit gratiam. Considerat Sanctus Pater, quod olim Deus, ut hominibus prohiberet ingressum in Paradisum collocavit Cherubim, & flammam gladium, Genes. 3. in limine Paradisi, ne aliquis valeat introire, ponitur flammens gladius: In limine autem alterius Paradisi Ecclesiae Christianae ponitur lingua igneae, ut Paradisum aperiant; igneus gladius in poenam peccati rigorose clausit Paradisum, una lingua humana ignea plena gratiae, ac benignitatis Spiritus sancti eum facit omnibus patentem ut

Pradicatorum Evangelici habent unum sermonem.

44. Cant. 3.

Septuag.

Pagnin.

45. Aliquorum sententia.

46. Non verum ignis.

Math. 3.

Caetan.

47.

In Praedicatione scientiae, & charitatis.

Luc. 12.

D. Greg.

D. Chrysol.

Origen.

D. Ambros.

48. D. Cyril.

Genes. 3.

Benignitas Apostolica triumphat de poena, ac rigore peccati.

NOVA

nova corona spiritalis per linguas igneas imponeretur capiti illorum. Antiquitas, ut tradit Laurentius Lucens. de moribus Roman. assert. 18. in triumphantium Cotenis trophaea Victoriae depingebantur, sic in capitibus sacrorum Apostolorum. lingua igneae tanquam corona imponuntur, quia ipsis de rigore, ac poena peccati gloriosam victoriam reportant.

Tertio Isidorus Pelusiota epist. 494. sic ait: Ut unus Deus in utroque testamento cognosceretur, ut Deus ostenderetur auctor utriusque testamenti, ac legis novae, & antiquae, & haec data fuit tanquam in figura legis gratiae, nam, illa data est in monte Sinai, cum igne, nube, fumo, tonitruis, ac fulgoribus, Exod. 19. n. 16. & 18. Illustrissimo alio modo lex nova data est: Ignis praesentibus linguas igneas loquentes, tonitrua adumbabant sonum ventis vehementis, qui inferviebat non ad timorem, sed ad recreationem animarum; fulgura designabant praedicationem, ac miracula Apostolorum, quae resplenderunt, non ut antiquitas in uno populo, sed per omnes gentes totius Orbis; fumus indicabat poenitentiam, ac contritionem Judaeorum, ac gentium: Nubes Divinam protectionem, qua Apostoli animati inter Judaeos adversarios nihil timerent, sed libere loquerentur. Cum lex antiqua daretur dicitur citato loco n. 18. Erat omnis mons terribilis: At verò modo cum descendisset Spiritus sanctus totus mons Sion erat valde gratus, per jucundus, ac laticans.

Quarto, D. Leo serm. 1. in Pentecost. inquit: Ad veteres tenebras abigendas nova lucis fulgura conspiciant, cum micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignium; cui ad illuminandum intellectum, consumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis inest urandi. Antiquitas maxime Deus se occultabat tanquam in tenebris ne videretur, nec agnosceretur. Cum Deus descenderet daturus legem Moysi, Nubes operuit montem, Exod. 19. n. 16. Cum Salomon dedicasset Templum Nebula implevit domum Domini, 3. Reg. 8. n. 10. Tunc ait Salomon, Dominus in nebula habitabat in nebula, Ibid. n. 12. Et cum Deus appareret Isaie 6. statim dicitur n. 4. Et domus repleta est fumo: At verò modo formans Deus suam novam Ecclesiam Christianam maxime voluit suam singularem praesentiam declarare, venit in linguis igneis, in quibus nihil cernitur tenebrosam, obscuram, ac nebulosum, sed summa lux, illiusque summus splendor, ut concipiatur verbum eloquium ignitum.

Quinto, D. Chrysolom. homil. 4. in Acta sic ait: Eodem modo, quo nunc Discipuli, nemo alius Spiritum accepit. Quis potius Moyses quidem Prophetis major. Nam ille cum oporteret alios afflari Spiritu ipso diminutus est: Hic vero non eodem modo, sed quemadmodum, quosque valet, aliquis lucernas accendit, nec ignis minuitur, ita in Apostolis tunc temporis accidit. In specie ignis venit divinus Spiritus? Nullo enim melius ejus gratia accepta in Apostolis poterat explicari; dum enim ignis, communicatur, non minuitur, sed magis splendor lucis crescit: sic & gratia Spiritus Apostolis crescit, dicitur: Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis, Num. 11. n. 17. Juxta ipsum Chrysol. ac alios: cum diminutione Spiritus Moysi, & hoc circa septuaginta tantum; At Spiritus sanctus venit super sanctam Congregationem 120. & cum virtute, ac potestate communicandi innumeris ipsum Spiritum, & cum ipsa communicatione, ut magis cresceret, & augetur in unoquoque ipsa divina Spiritus gratia.

Sexto, D. Bernardus serm. 2. de Pentecoste, inquit: Quid a te quaerit qui tanta sollicitudine te quaesivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo suo? Hanc sollicitudi-

nem non facit, nisi Spiritus sanctus, qui scrutatio profunda peccatorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis; qui ne minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum, pariter reserare, sed statim igne subtilissima circumspeditionis exurit. Tam summa, & immaculata est puritas in his, qui Spiritu sancto aguntur, ut ipse tanquam subtilissima ignis flamma, humana pectora penetret, ac intimam conscientiam scrutetur; Ut ne minimam parietem paleam, intra cordis habitaculum, quod possidet. Inde Spiritus sanctus descendit in Apostolos in igne, ut eos summa puritate conspicuos redderet absque ulla macula; nam si aliqua etiam minima adsit, statim sua ignis flamma consumit, & destruit, igne subtilissima circumspeditionis exurit.

Septimo, ut Apostolos illuminans elevaret in caelum. Ait Isa. 24. n. 15. In doctrina glorificate Deum, ex Hebraeo legitur: In igne glorificate Deum. Pergit Propheta, & subdit: In insulis maris nomen Domini, & gloriam iusti. Septuaginta legunt: Ab alis terra laudes audivimus, & gloriam iusti. Iste ignis, est doctrina celestis divinae columbae Spiritus sancti, quae inflamat corda nostra, & dat alas suas, ad annunciandam gloriam Dei per totum mundum, & simul ad volandum cum ipsis in caelum. D. Hier. ibi, ait: Ab alis terra, hoc est a Sanctis, qui assumptis alis Columbae, ad caelorum regna festinant, & laudes ejus audivimus praedicari.

Octavo, D. Cyrill. Jerosolym. Catech. 17. ait: Ignis portendit tribulationem magnam; & multiplicem, quam passuri erant Apostoli, & fideles, sed superaturi per ignem amoris Divini, quam idcirco hic eis dedit Spiritus sanctus. Et si ignis denotet afflictiones, & persecutiones, quas Christi fideles erant passuri, tamen Dei amore omnia facillime erant superanda, ac contemnenda. Cum ex nuntio Magdalenae accepissent Apostoli sepulchrum Christi esse apertum currentes Petrus, & Joannes videntes sepulchrum vacuum sine corpore Christi: Abierunt ergo Discipuli ad semetipsos, Maria autem stabat ad Monumentum foris plorans, Joan. 20. n. 11. Cur una mulier recedentibus Discipulis auder sola manere ad sepulchrum defuncti? Cur non timet armatam manum militum, crudele Judaeorum odium? Origenes ibi ait: Cur hoc fecisti? sapiebas plus illis, aut diligebas plusquam illi, quia non timebas ut illi. Sancta femina cum amaret nihil timebat: Perfecta charitas foras emittit timorem. Joan. 1. cap. 4. n. 18.

Ait Isaías 11. n. 2. loquens de Christo Domino: Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiae, & pietatis, & replevit eum Spiritus timoris Domini. Ubi satis ingeniose expendit illud replevit, D. Pasch. lib. 1. in Matth. & ait: Non vissum autem velus quiddam specialis, ac si in unicum dissectionis ab omni labe peccati inulit, dicitur replevit eum Spiritus timoris Domini; Non enim quoscumque repleverit capaces alterius rei esse pleniudo timoris spiritus. Illud quod repletum est, non potest aliquid aliud, quantumvis minimum, in se recipere, ac retinere, sed si aliquis superinfunditur, statim resurgit, ac immitit foras, si anima repleta est Spiritu timoris Domini, non potest alium timorem de terrenis, ac temporalibus in se recipere, ac admittere, Non enim quoscumque repleverit, capaces alterius rei esse pleniudo timoris sine.